



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

9. An mala fides auctoris noceat bona fidei successori quominus rem  
alienam vsucapere possit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)



in praescriptione non est titulus reipsa validus, aliis dominium in eo transferret, nec praescriptio necessaria esse; sed est titulus qui probabiliter validus existimatur. At haec existimatio stare optime potest ignorantia inculcata iuris interueniente: ergo haec ignorantia non impedit praescriptionem. Quarto colligitur, ex cap. penult. de empt. q. v. vbi aduersus exigentem dominum, quae donatione iure inuadit, fuit acquisita, se defendit donatarius praescriptione tricennaria. Neque obstat Textus. in cap. i. in de Decimis. ubi enim auferuntur decima hospitalaris quia non probauerunt inculpabiliter praescripsisse; potius enim praesumebantur culpabiles: si quidem errant in iure manifesto accipientes decimas de manu laici, qui eas nec donare, nec possidere poterat.

Solum obijci potest aduersus hanc sententiam nullum esse discrimen inter ignorantiam iuris, & facti, siquidem utraque si culpabilis sit impedit praescriptionem; secus vero sic fit inculpatam, cum tamen leges in principio huius quaestions relate affirmant facti ignorantiam prodesse praescriptioni, obesse tamen ignorantiam iuris? Respondeo maximum esse discrimen: ignorantia facti frequenter contingit inculpabilis; secus ignorantia iuris: & cum leges spectent quod si frequentius contingit, affirmant absolute ignorantiam iuris obesse praescriptioni, prodesse vero ignorantiam facti. A casu quo constat ignorantiam iuris inculpabilem esse, valeret utique praescriptio non solum in foro conscientiae, sed etiam in exteriori, faceret tamen in exteriori foro difficile esse huius ignorantiae inculpabilem probationem, quia aduersus praescriptionem iuris, & de iure non admittitur regulariter probatio, nisi ex causa extraordinaria ex Iudicis benignitate, vel restitutione in integrum si qua iusti iusta causa esse videbitur iuxta leg. in fine ex quibus casibus maiores. Admissa hac probatione, & constituto vel ex confessione partis aduersae, vel aliunde praescribentem omnem in persequenda veritate diligentiam adhibuisse, praescriptio effectum in utroque foro habet.

§. IX.

An mala fides Auctoris noceat bonae fidei successori, quominus rem alienam usufrucipere possit?

- 1 Haeres immediatus usufrucipere non potest rem à defuncto mala fide possessam.
- 2 Temperari: aliqui ne procedat in praescriptione longissimi temporis.
- 3 Non admittitur haec restrictio.
- 4 Haeres medietus optime potest praescribere rem à defuncto mala fide possessam.
- 5 Exipitur haeres à numero illorum, qui in iure vocantur sui.
- 6 Non approbatur exceptio.
- 7 Si successor collesoris in via si sui alio titulo quam successione rem possidet, praescribere potest.

Communis est sententia quam tradit Abbas Antoni Felin. in cap. si diligenti de praescriptionibus. Dynus ad reg. possessor. mala fidei de Reuol. iuris in 6. n. 4. & ibi Couarrui. §. 9. per totum Andreas Fachineus lib. 1. controuers. cap. 66. §. lib. 8. cap. 2. Molina tract. 2. disp. 65. Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 13. & alii passim haeredem immediatum usufrucipere non posse rem à defuncto mala fide possessam. Vt videtur expresse definitum. in leg. cum haeres ff. de iuris. & temporal. praescriptionibus. ubi inquit Papinianus. Cum haeres in ius omne defuncti succedat ignorante suo, defuncti iura non excludit veluti cum sciens aliquid vel precario possidet; quamuis enim precarium haeredem ignorantem non tenet, nec interdictio recte conueniatur, tamen usufrucipere non potest quod defunctus non potuit. Idem iuris est cum de longa possessione quaeritur: nec enim recte defenditur cum exordium rei, bone fidei ratio non tenetur, & in leg. nec usufructuarium Cod. de usufructu. ait Imperator. Nec usufructuarium ad obtinendam praescriptionem retum quarum usufructuarium habet, neque sui cessoris eius vlla temporis ex ea causa tenentis praescriptio mouet. Et §. diuina in lib. de usufructibus. (scilicet defunctus) initium iustum non habuit (quia mala fide possidere cepit) haeredit, & bonorum possessori licet ignorantia possessio non prodest. Ratio autem harum constitutionum ea est, quia haeres personam defuncti refert, cuiusque possessio fictione iuris, eadem est cum defuncti possessione. Si igitur possessio defuncti in se sit ob malam fidem, & haeredit possessio infecta erit. Quippe vita possessionum à maioribus contracta perdurans, & successorem auctoris sui culpa comitatur. Vt habetur. eg. vna. Cod. de acquirenda possessione. Neque ab hoc vitio excusat haeres eo quod inuentarium confecerit. Vt voluit Alexander. in leg. Pomponius §. cum quis ff. de acquirenda possessione. n. 2. cui Iason ibi, & Felinus in cap. si diligenti. 6. de praescriptio accedere videtur. Nam vt recte Couarrui. ad reg. possessor. 2. p. §. 9. n. 5. Molina. ad 2. disp. 65. concludit. inuentarii confessio non tollit, quin haeres rem accepterit à possessore mala fidei, titulo haere-

dis, & consequenter cum vitio tali rei affectis; quinimo inuentarii confessio demonstrat non alio titulo, quam titulo haereditis rem illam acceptam esse. Neque item excusat ex eo quod velit praescriptionem à se ipso incipere non titulo pro haerede, sed titulo quo defunctus rem illam possedit. Nam si iuris ille in defuncto vitiosus fuit (vt supponimus) translatus in haeredem ea vitia retinet, vt aliis velatis notat Couarrui. dicta reg. possessor. §. n. 5.

Temperant autem hanc communem sententiam Glossa in reg. cum quis de Regulari in 6. quam sequitur Baldus in leg. nisi Cod. de usufructibus. Areti, & Crotus in leg. Pomponius. §. cum quis ff. de acquirenda possessione. Paul. Castrens. in leg. cum quis Cod. de usufructibus. & Iulium expensis & conf. 81. n. 11. & conf. 2. §. lib. 8. Vazquius lib. 2. controuers. illustr. cap. 7. §. & probabile reputat Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 13. n. 4. 2. & inclinat Couarrui. ad reg. possessor §. 9. n. 4. ne procedat in praescriptione extraordinaria 30. vel 40. annorum quaeque titulum non requirit. Nam dum haec praescriptio sola bona fide possidentis per certum tempus continuata compleatur, titulus haereditis ex mala fide defuncti vitiosus ei nocere non potest, vt pote quae titulum non requirit. Praeterea praescriptio tricennaria, & quadragenaria iure civili valida est, tamen cum mala fide fuerit inducta. Vt probat lex si quis emptio §. 1. & leg. cum non iustissimi Cod. de praescrip. 30. vel 40. annor. At ius Canonicum solum contexit malam fidem veram quae peccatum constituit. cap. fin. de praescriptione. non autem malam fidem fictam quae nullum inducit peccatum. Ergo praescriptio tricennaria, & quadragenaria haereditis absque peccato consistens valida erit tam iure Canonico quam Ciuili.

Verum posita communi sententia tanquam certa, malam fidem defuncti haerediti praedicare, et si probabiliter haec restrictio sustineri possit, probabilius est omnino esse repeiendam. Vt docuit Panormitanus in cap. si diligenti. col. 8. de praescriptio. Alexandri, Vincentius, & Iason. in dicta leg. Pomponius §. cum quis ff. de acquirenda possessione. Baldus de praescriptio. 4. par. 4. princ. q. 32. Fachineus. lib. 8. controuers. cap. 27. ad 1. Etenim haeres defuncti mala fide possidentis à praescriptione impeditur, quia fictione iuris eius personam refert, & eius possessionem infectam continuatur haec relatio, & possessionis continuatio non absumitur decursu temporis longissimi. Semper enim verum est haeredem defuncti personam referre, & eius possessionem continuare in rebus titulo haereditis acceptis. Quocirca est praescriptio tricennaria, vel quadragenaria sola bona fide excludente peccatum, & certi temporis decursu subsistat, non inde inferitur haeredem defuncti fide peccaminosa possidentis, praescribere posse tamen ipse in propria persona bonam fidem habeat, quia ex dispositione iuris non possidet rem ex fide propria, sed ex fide defuncti, ac proinde iniustitiae ad praescribendum. Et licet ius civile praescriptionem tricennariam, vel quadragenariam cum mala fide admiserit, iusque Canonicum solum malam fidem inducentem peccatum reprobaerit, non tamen malam fidem fictam: quia haeres non possidet rem ex hac mala fide fictione, sed ex ipsa mala fide defuncti, quae in ipsum haeredem iure sic disponente transfusa est, ea de causa eius possessio Canonico iure indirecte reprobatam praescriptionem inducere nequit.

Dixi posita tanquam vera communi sententia. Nam mihi satis dubia videtur, sicuti & Couarrui. d. §. 9. n. 3. ob ea quae ipse in contrarium adducit. Neque enim lex cum haeres, & leg. nec usufructuarium, & §. diuina praescriptionem ab haerede, nisi quatenus haeres intendit nomine defuncti rem possidere, cuiusque possessione ad praescribendum uti, & ex eius titulo, non vero quatenus à se ipso, & ex titulo aditae haereditatis vult possessionem inchoare.

Quae hucusque dicta sunt procedunt de haerede immediato titulo haereditis rem à defuncto mala fide possessam obtinente, nam si haeres sit huius haereditis, qui solum fictione iuris malam fidem habuit, recte poterit praescribere si à te inchoare praescriptionem velit. Vt docuit Ioann. Crotus in dicta leg. Pomponius. §. cum quis ad finem. Couarrui. ad reg. possessor. 2. p. §. 9. n. 6. Molina. disp. 5. vers. illud etiam. Lessius. lib. 2. cap. 6. dub. 13. n. 1. Etenim cum ex vno, eodemque capite duplex fictio à iure reprobata sit. Vt notat Barr. in l. g. si quis qui pro emptore. q. vlt. ff. de usufructibus. & habetur. leg. 1. Cod. de dotis promissione. sane si ob malam fidem fictam illius, cuius immediate successisti à praescriptione excluderis dup ex fictio mala fidei vera in vna, & eadem causa constituitur nimirum quae te afficit, & quae afficit illum cui tu haeres immediatus es.

Excipe ex communi sententia, quam tradit Couarrui. ad reg. possessor. 2. p. §. 9. n. 3. Anton. Gomez. tract. 1. var. cap. 9. n. 19. Molina. tract. 2. disp. 65. in fine. nisi fit nisi numero illorum qui in iure vocantur sui, quales sunt omnes illi qui tempore mortis illius cuius sunt necessarii haeredes, sub illius erant potestate nullo alio in eadem linea interposito. Vt constat ex §. sui, & §. ceteris in fine. de haereditum qualitate. Nam eo casu non censetur rem ex nouo titulo possidere, sed possidere illam ex titulo tui praedecessoris, cuius dominium continuas. Haec enim est vis iuratis. leg. in fine ff. de liberis. & p. §. huius, vt ratione illius non cehloatur filii pa-



triam hereditatem titulo nouo percipere, sed eam habere ex titulo parentis. Colligiturque ex *leg. nisi. pro herede. Cod. de usufructu. cap. iomb. pro herede.* Vbi inquit Textus nihil pro herede posse vti capere suis hereditibus existentibus magis obtinuit: id est suos heredes nihil posse vti capere ex bonis alienis apud defunctum reperitis quae ipse vti capere non possit. Sic explicat Azor in *sum. illius tit. Bart. Alberic. Paul. Saicet* quos referunt, & sequuntur Anton Gomez. & Couarrui *locis citatis.* Ad idem est *lex. 2. §. si ff. pro herede. ibi Filius a parte hares institutus res hereditatis a patre sibi donatus pro parte coharedum vti capere non potest.*

6 Fator hanc exceptionem communem esse, at re attentè inspecta nec videtur vera, nec iure fundata. Etenim hares suus est fictio iuris censetur dominum antecessoris continuare. Ob quam causam viuo patre filius Dominus bonorum parentis appellatur, at non censetur eandem possessionem habere, sed diuersam, & distinctam nouo titulo scilicet hereditariae successione acquirunt. Potest igitur ratioe huius noui tituli vti capere: Neque contrarij probant leges superius adductae, nam vt rectè explicat Stephanus in *Weyomania iuris. Dislego 36 & Vigilius in §. si in ius de herede. qualis. Et differet* quibus adhaeret Lessius, *lib. 2. cap. 6. dub. 13. n. 43. cum in leg. nihil pro herede dicitur non posse vti capere suis hereditibus existentibus, non est intelligendum nihil posse hares titulo haredis vti capere, sed alios nihil posse titulo haredis vti capere suis hereditibus existentibus, quia hares non sunt. Quo sensu in *leg. ex testamento. 2. Cod. unde liberi* definitum est ex testamento, vel ab intestato existente filio, vel nepote suo herede neminem posse ab intestato haredem existere. *lex. vero 2. ff. pro herede.* non agit de praescriptione, sed de modo acquirendi quem habet filius in bonis patris, sensuque illius est non posse filium res sibi à patre donatas, & quas viuo patre possederat titulo donationis mortuo patre possidere titulo hereditariae successione, quia sibi titulum possidendi mutare potest, si in eadem lege cauetur. Ex quibus manifestè inferitur te haredem heredis ma & fidei, si iuris vti capere posse incipiendo à te vti capionem, neque vtendo accessione temporis. Et quidem si non titulo heredis, sed titulo agnati, seu cognati qui ab eo qui est hares suus inseparabilis est, vti capere velis, nihil vti capioni videtur obitare. Vti firmiter plures relati à Couarrui. & Anton. Gomez *locis allegatis.* Adde cum Anton. Gomez. *dicto num. 19. vers. aduertendum.* esto hares suus possit vti capere titulo heredis spectato iure ciuili, bene tamen spectato iure praerogato, in quo non consideratur suitas, nec patria potestas, nec eius virtus, & affectus: iuxta *leg. nam ciuium. ff. de his qui sunt sui. vel alieni iuris. §. secundo in fin. de patria potest.**

7 Porro si successor illius qui malam fidem habuit non titulo successione, sed donationis, emptione, redemptionis, aliove simili rem possederit, praescribere optime potuit, incipiendo praescriptionem ab eo tempore quo rem incepit possidere bona fide eo nouo titulo. Vt ex communi, & certa sententia docet Couarrui. *ad reg. possessor. 2. p. §. 9. n. 7. Fachineus. lib. 1. controuers. cap. 66. in initio. Lessius. lib. 2. cap. 6. dub. 13. numer. 44. Molina. disput. 65. in initio.*

§. X.

An mala fides respectu vnus, impediatur praescriptionem respectu alterius?

- 1 Non desunt qui sentiant non impediri.
- 2 Mala fides respectu vnus rei, vel iuris non impedit praescriptionem alterius rei, vel iuris distincti.
- 3 Mala fides vnus rei, vel iuris comparatione omnium impedit praescriptionem.
- 4 Si fide tibi bona possidenti rem Sempronij sit à Titio mouetur, censetur ne interrupta praescriptio aduersus Sempronium, proponitur dubitanti ratio.
- 5 Afferitur non interrupti.
- 6 Soluuntur rationes oppositae.

1 Non desunt graues Doctores, Aegidius à Bellamera in *cap. vigilia. tit. n. 35. Immolari in cap. fin. n. 2. de praescripti. Felini in cap. illud. eodem tit. col. 1. Molina. tract. 2. tit. 3. disp. 72. n. 4. sentientes malam fidem respectu vnus non impedire praescriptionem respectu alterius: afferunt namque te credentem fundum possessum esse Titij, cum tamen sit Sempronij praescriptum aduersus Sempronium, quia mala fides comparatione Titij praedictae non potest praescriptioni aduersus Sempronium. Tum quia procedit ex errore. Tum quia non impedit comparatione Sempronij bonam fidem. Fauetque Bart. in *leg. Naturaliter. n. 14. ff. de vti capionib.* ibi enim inquit, Defectus bona fidei quoad vnum non impedit praescriptionem quoad alium, sed defectus possessionis impedit praescriptionem quoad omnes: quia possessio vna est, & vniuersim omnes species bona fides, vel iustus possunt variari respectu plurium.*

Ceterum distinguenda est mala, & bona fides comparatione rerum, & comparatione personarum & affirmatum comparatione rerum consistere posse malam & bonam fidem, si res aliquo modo distinguantur. Secus comparatione personarum, ac proinde malam fidem comparatione vnus rei, vel iuris non impedit praescriptionem alterius rei vel iuris distincti. Secus vero est de mala fide eisdem rei, comparatione diuersarum personarum. Exemplis erit manifestum, Potes namque bonam fidem habere comparatione vnus partis fundi, & non comparatione alterius, comparatione vnus Hypothecae pigoris vel usufructus, & non comparatione alterius. Item comparatione proprietatis rei, secus comparatione usufructus. Sicuti expresse habetur. *leg. si quis fundum. ff. de acquirenda possessione. leg. qui balneum. §. Titia. ff. qui petores in pignore ha. cantur.* Ideoque mala fides vnus iuris, seu partis non impedit praescriptionem respectu alterius iuris, vel partis distinctae. Sicuti notatur Couarrui alijs rebus *ad reg. possessor. 2. p. §. 8. n. 5. Andreas Fachineus. lib. 8. controuers. cap. 34. Molina. disput. 63. col. 1. vlt. Sanch. lib. 2. in Detalog. cap. 23. n. 157.* Quo sensu rectè explicat Couarrui. locutum fuisse Bart. in *dicta. leg. naturaliter* cum dixit defectum bona fidei quoad vnum non impedit praescriptionem respectu alterius, bene tamen defectum possessionis, loquitur namque de diuersis iuris proprietatis, & usufructus, & inquit qui non possidet, nec praescribit contra proprietarium, nec contra usufructuarium, nec contra vilius, quia praescriptionis fundamentum non habet: ita vt qui possidet, habet tamen bonam fidem respectu proprietarii, malam respectu usufructuarij, praescribit plane aduersus proprietarium, sed non aduersus usufructuarium. Quod est dicere malam fidem vnus iuris non impedit praescriptionem respectu alterius.

E contra vero mala fides vnus rei vel iuris comparatione omnium impedit praescriptionem. Vt tradit Aretin. *col. 9. cap. 17. in leg. 1. §. item acquirimus n. 56. ff. de acquirenda possessione. Et in leg. 3. §. Natus col. vlt. de m. tit. Panoimit. cap. illud n. 8. de praescriptionib. Bellamera cap. vigilanti num. 3. v. eisdem Couarrui. *dictu reg. possessor. 2. p. §. 8. num. 5. Andreas Fachineus. lib. 8. controuers. cap. 34. Molina. dicta disp. 63. Sanchez. cap. 23. num. 157.* Et colligitur aperte ex *leg. aut qui aliter §. si quis dum parat ff. quod vi, acie clam. ibi §. si quis dum parat locum tuum iura qui meus est, calandius non mei causa fecerit mihi interdictionem competere, Et leg. 1. §. sed per eum ff. de acquirenda possessione. vbi inquit Consulatus Homini verè liberi possessionem non acquirere per ministerium illius quem excusabat bona fide seruam esse. Ecce quia praescriptio mala fides comparatione vnus possessionem vtiolam reddit, & praescriptionem impedit. Etenim ad praescribendum necessarium est, vt in nulla parte temporis conscientiam habeas rei alienae. Vt dicitur *cap. fin. de praescriptionibus:* at eo ipso quo firmiter credis rem Titij, quae est Sempronij conscientiam habes rem esse alienam, nequis ergo praescribere, est enim praescriptio cum peccato inducta. Neque obest quod illa mala fides ex errore procedat: nam est errore procedat sufficientem esse constituit conscientiam malam, & peccaminosam possessionem ac proinde malam fidem non quidem directè comparatione Sempronij, sed indirectè.**

Solum est dubium, si tibi bona fide possidenti rem Sempronij sit à Titio mouetur in cuius progressu succumbit, quia Dominus non est, censetur ininterruptè praescriptionem aduersus Sempronium. Ratio dubij est quia in *leg. Nemo. Cod. de acquirenda possessione.* Constantinus inquit, *interpellatione verò, & controuersia progressu non posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex interposita contestatione, & causa in iudicium deducta super iure possessionis vacillat, & dubitat.* Ergo ex sententia Constantini possessio litis contestatione interrupta censetur. Etenim per huiusmodi contestationem litis possessorum constituntur in mala fide, si quidem vacillare, & dubitant. *leg. sed est lege. §. si autem ff. de petit. heredit. at cum mala fide nequit esse praescriptio, ergo &c.* Quinimo non solum per litis contestationem, sed per solam citationem eorum Iudice competentis praescriptio interruptitur. *leg. cum notissimi. Cod. de praescriptionib. 30. vel 40. annorum, & ibi Clesia, & notatur Fachineus. lib. 1. controuers. cap. 8. v. vers. §. 6. n. 10.*

Nihilominus in presenti calu nec per citationem Titij, nec per eius litis contestationem, praescriptionem aduersus Sempronium interrupti merito docuerunt Couarrui, referens Socium *in disput. 47. lib. 3. ad reg. possessor. 2. §. 8. num. 5. circa finem.* Andreas Fachineus. *lib. 8. controuers. cap. 34.* Ratio est, quia per litis contestationem solum inducitur vacillatio, suspensio, & opinio rem esse alienam, vt Constantinus dixit vacillatio, suspensio, & opinio suspententis possessioni bona fide inceptae illam non interruptit vt ex *superius* dictis constat. Adde in vti capionibus verumtamen spectandam esse non errorem. *leg. 1. §. si sub conuisione ff. de vti capionib. pro emptione.* Praeterea quod inter vnus acta alius ex se nec nocent, nec profunt, *io. tit. Cod. res inter alios acta.*

Neque oppositae rationes obstant. Nam *lex nemo* solum probat, contestatione litis facta, interim dum veritas manifestatur, non esse iudicandum possessorem qui possessionem corpore tenet, nec